

**Disputatio medica inauguralis, de dysenteria epidemica ... / eruditorum
examini subjicit Benjaminus Clifton.**

Contributors

Clifton, Benjamin, 1747-1798.
Robertson, William, 1721-1793.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud A. Donaldson, 1766.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nr8ekj7c>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6.273/P

BW7

DISPUTAT
IN AUGUSTO
D E
DYSENTERIA EPIDEMICA.

DISPUTATIO MEDICA,

D E

DYSENTERIA EPIDEMICA.

DISPUTATIONES
ACADEMIAE

IX.

EDIMBURGHENSIS

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA EPIDEMICA:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

N E C N O N
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum examini subjicit
BENJAMINUS CLIFTON,
ex Insula Indiae Occidentalis Sancti Christophori.

Ad diem 27 MAII, hora locoque solitis.

Nos haec novimus esse nihil.

EDINBURGI:
APUD A. DONALDSON.
M DCC LXVI.

АСАДЗМ ОДАТОЧАСІ

ІІІ АКІОДИАКІ

І А.

ДІСЕРІЯ З АІДІМІА

ІІІ АКІОДИАКІ



ІІІ АКІОДИАКІ

G E O R G I O D E W A R,

A R M I G E R O,

VIRO IMPRIMIS HONORANDO ET COLENDO,

HUMANITATE ET MORUM PROBITATE SPECTABILI,

O B M U L T A Q U A E, C U M I N S E,

T U M I N S U A M D O M U M,

C O N T U L I T B E N E F I C I A,

S U M M A M L I B E R A L I T A T E M,

O M N I A O F F I C I O R U M G E N E R A:

NEC NON
JOANNI HARRISON,

ARMIGERO;

OMNIBUS PROBITATIS ARTIBUS INSIGNI,
OMNIBUS TE OBSCURORUM ETIAM TUM

NOTUS IN FRATREM ANIMI BENIGNI,

EIQUE DILECTUS ANIMO PATERNO;

VIRO AMICIS AMICISSIMO,

SUMMA IN MULTOS BENEFICIENTIA,

IN OMNES BENEVOLENTIA,

OMNIBUSQUE, QUIBUS NOTUS EST

IN DELICIIS HABITO;

OB SUMMUM IN SE AMOREM

EGREGIAM VOLUNTATEM,

ANIMIQUE IN AMICITIIS CONSTANTIAM ET FIRMITATEM:

D E N I Q U E

A L E X A N D R O W O O D,

P R O B A A C S A P I E N T E V I T A C O N S P I C U O ,

U R B I S E D I N E N S I S C H I R U R G O P E R I T I S S I M O ,

S U O I N M E D I C I N A E R U D I M E N T I S

P R A E C E P T O R I F I D E L I S S I M O ,

A N N O R U M P U E R I L I U M C U S T O D I I N C O R R U P T I S S I M O

M O N I T O R I L I B E R R I M O E T A M I C I S S I M O ;

Q U I Q U E , A B S E N T E P A T R E , O M N E P A T E R N U M O F F I C I U M ,

O M N I T E M P O R E , S U S C E P I T , P R A E S T I T I T , A B S O L V I T ,

E T C U J U S T O T T A N T A Q U E B E N E F I C I A

N U L L U S D I E S S I B I M E M O R I E X A N I M O D E L E B I T :

H U N C P R I M U M M E D I C I N A E L A B O R E M J U V E N I L E M

S U B P E D I B U S P O N I T ,

B E N J A M I N U S C L I F T O N .

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3038218x>

DISPUTATIO MEDICA,

D E

DYSENTERIA EPIDEMICA.

DYSENTERIA in plures species a Praefatio nonnullis diducta est, nec immerito; siquidem curatio pro alia specierum natura, alia sit necesse est. Ego in epidemiam seu turbas simul corripientem, et sporadicam, seu paucis contingentem, discernam. Quantum vero haec porro sit distribuenda, non meum consilium est dicere, quippe qui, illam, quae eadem semper est nec in ulla deinde species abit, solam tractaturus sim. Quo tamen illustrius sit hujus operis propositum, utriusque generis discrimina paucis exponam.

DYSENTERIA Epidemica multis eodem tempore communis fit, eadem per coeli ardores vel post hos, ingruere solet, nisi si quando causarum series in putredinem humores nostros ducentium etiam aliàs eam excitat; domestica quasi regionibus calidis est,
Dysenteriae
Epidemicæ
notas,

DE DYSENTERIA

in terris vero frigidioribus sub aestatis finem et autumni initium plerumque invadit; a putredine humorum oritur; sola contagiosa est, et viginti circiter dies plerumque durat.

*et sporadi-
cae, com-
plexa.*

SPORADICA quolibet anni tempore nullo discrimine contingit; ea non ex humorum putredine, sed ex variis rebus acribus, sive intus natis, seu in corpora nostra insinuatis, et humores humanos corruptentibus, nascitur; non contagiosa est; non per multos mortales vadit, mitiorque fere, et saepe diuturnior multo, quam altera, reperitur.

*Morbi defi-
nitio.*

ANTIQUORUM praeclarissimi GALENUM fecuti, intestina semper dysentericis exulcerari credentes, ideo pro perpetua morbi nota exulcerationem in omnibus definitionibus adhibuerunt. Quam utique notam posteriores, cum cadavera incisa id aliquibus, non omnibus fieri ostenderint, jure rejecerunt, atque perpetua et evidentia sola definientes usurpaverunt. Hos igitur sequi meum consilium est. Verum ut dysenteriam in epidemicam seu quae totas turbas graftando corripit, et sporadicam seu rariorem et pauciores petentem, diduxi, et de illa sola dicere decrevi; ita quaecumque definens

ens protulero, ea de sola illa dici credenda, manifestum est.

“**D Y S E N T E R I A** epidemica contagiosus est morbus, cui, frequens desidendi cupiditas, dejectiones frequentes, plerumque exiguae, mucosae, sanguineaeque ; termina gravia, et febris, propria sunt.”

E A D E M utrumque sexum, omnium aetatum homines, nullo discriminē invadit, ac ne lactentes quidem infantes diram ejus crudelitatem fugiunt (*a*).

P L E R U M Q U E aestate praecipite, vel autumno ineunte, per populum furere; aliis etiam omnibus anni temporibus incidere, sed rarior mitiorque, solet.

N O N N U L L I S hominibus lassitudo, inflatio, venter distentus (*b*) tactuque dolens,

(*a*) Hoffman, op. omn. tom. iii. § 2, cap. 7. Degneri hist. dys. bil. cont. quae neomagi graffata est, ann. **M D C C X X X V I**. cap. i. § 33.

(*b*) Hoffmannus “Qui hoc malo,” inquit “corripiuntur, ante plenariam illius eruptionem, diu de corporis lassitudine, ventre tumido ac molestis quibusdam in ea motibus conqueri animadvertuntur.” Op. tom. iii. § 2. cap. 7.

DE DYSENTERIA

ac cibi fastidium, unum alterumve diem, alvi profluvium praecedunt.

PLERISQUE, rigor, horror, quibus mox succedentes arteriarum frequentia, calor austus, cutis arescens, inquietudo; aliis paucis capitis dolor (*c*), ejusdem hujus quasi vertigo (*d*), sitis, cibi fastidium, nausea, vomitusque (*e*), incepisse jam morbum significant. Neque tamen haec initii propria sunt, quippe quorum pleraque ad finem usque producantur. Post haec protinus alvus semel iterumve naturali stercore similia (*f*), torminibus comitantibus vel etiam praeeuntibus, reddit. Quas deinde notas dejectiones frequentiores subsequuntur, pro quarum frequentia, febrilia signa plerumque manifesto decrescunt (*g*).

(*c*) Hillary's dis. of Barbad. p. 25. Tissot avis au peup. tom. ii. ch. 24.

(*d*) Aret. Cappadox de cauf. et sign. morb. lib. ii, cap. 9. Baker de dys. Lond, p. 19.

(*e*) Akensidius "Id quoque" ait, "crebro obser-
vare contigit, dysentericos saepius et diutius quam pro
auctorum testimonio, nausea et vomendi necessitate affici." Comment. de dys. cap. i. p. 15.

(*f*) Pringelius haec habet verba, "The stools are generally copious and excrementitious for the first day, and sometimes a little longer." Observ. on the dis. of the army. Part iii. chap. vi. § 1.

(*g*) Pringle's observat. part iii. chap. vi. § 1.

ALIQUANDO vix febris quicquam praeire percipitur, subitoque gravia tormina (*b*) torquent, post quae alvus statim naturalia copiose dejicit. Atque tum demum febris se manifesto prodit; et cum dejectionibus, ut nonnullis placet, augescit (*i*).

Ex hoc tempore, tormina qui inter umbilicum atque os pubis plerumque sita sunt, immaniter saeviunt, alias tantummodo ante et post desidendi cupiditatem, alias affidue torquentia, omnibus desidentibus, semper ingravescentia.—Jamque alvus neque naturalia neque multa, sed frequentissime, male olentia, plerumque viscido, spumeo, limoso muco, album ovi agitatum repraesentante constantia, et sanguinis aliquanto vel distincta vel permixta, reddit. Quorum utique facies varia admodum est, aliis multum aquosa (*k*), aliis neque muco neque qualibet

(*b*) Sydenhamus de dysenteria cum febre accidente sic loquitur: “ Saepe vero nulla antecedit febris praesensio, agmen autem ducunt tormina.” Op. sect. 4. cap. 3. p. 178. Hoffmannus, rigorem febrilem, aut antecedere, aut certe mox excipere atrociam imi ventris tormina testatur. Oper. omn. tom. iii. p. 152. Et Cleghorn on the dis. of Minorca, ch. 5.

(*i*) Hillary on the dis. of Barbad. p. 25. Lieutaud precis de la medicin. liv. i. § iv.

(*k*) Pringle's observat. part iii. chap. vi. § 1. Willis pharmac. ration. § iii. cap. 3.

DE DYSENTERIA

alia re admixta, sanguinem purum (*l*), aliis et mucum et bilem et sanguinem mixta (*m*) dejicientibus. Cum nonnullorum dejectionibus, exigua, rotunda, albescientia frustula sevi aut adipis instar, ideoque corpora pinguia nominata, exeunt (*n*). Villofae intestinorum tunicae partes (*o*), vel filamenta membranarum consimilia nec ipsae tunicae dissimilia (*p*), iis quae alvo elabuntur innatare aliquando cernuntur. Item vermes supra infraque haud raro projiciuntur (*q*). Rotundos vero duros, firmosque steroris globulos, praesertim inter alvum arte purgandam morboque proiecto, erumpere, haud rarum est. — Constans desidendi cupiditas est, homine vel nihil vel muci tantummodo exiguum aliquid vario conatu dejiciente.

(*l*) Sydenham. oper. § iv. cap. iii. p. 180.

(*m*) Monro's account of milit. diseas. p. 61.

(*n*) Degneri hist. dys. bil. cont. cap. i. § xxix. Monro's mil. dis. p. 62. — Horum unum Pringelius scrutatus est, nihilque aliud quam casei frustulum esse reperit, quod vel devoratum vel lacte intus coeunte formatum conjiciebat. Observ. on the dis. of the army, part iii. cap. vi. § 1.

(*o*) Chesneau observ. medicin, lib. iii. obs. 4. Edinb. medic. essays, vol. vi. p. 148. edit. 3.

(*p*) Morgagni de cauf. et sed. morb. epist. xxxi. Degneri hist. dys. bil. cont. cap. i. § xxix.

(*q*) Degneri hist. dys. bil. cont. cap. i. § xxxii. Pringel. loco modo citato. Monro's acc. of mil. dis. p. 62.

Qui conatus facit ut anus nonnullis, præ caeteris pueris (*r*), procidat. Multis ani sphincter adeo vehementer constringitur, ut nihil recto accipi queat.—Inflatio, si alvum fusam non processit, nunc molesta incessit, ponderis prementis sensum (*s*), murmura ventris et ructus, efficiens.—Urina plerisque florentis coloris et exigua, cum urethrae fere ardore (*t*), exit, perque omnes medios gradus, et in aliis aliter, ad perfectam in nonnullis suppressionem, singulos, binos, pluresve dies permanentem (*u*), minuitur. Raro laborantes quiescunt, affiduis fere vigiliis pressi.—Levis subinde singultus matre incidit, morfusque ventriculi aliquibus molestiam exhibet.

HAEC omnia de quibus retuli, mature et rite curata, magis magisque leniuntur, donec iis omnino sublatis, ad sanitatem homines, discusso morbo, redeant. Contra ubi morbo pejor natura contigit, vel male curatus est, supra enumerata multum increscunt,

(*r*) Sauvagesii nosolog. method. vol. v. p. 85.

(*s*) Pringel. loco modo citato.

(*t*) Diemerbroek. obs. medicin. obs. xxviii.

(*u*) Baker de dys. Lond. p. 21. Halleri disputat. vol. iii. p. 410. Degnerus urinam plerumque plane esse suppressam, ut intra sex, octo, decem, aut quatuordecem dies vix guttam emitterent, affirmavit. Hist. dys. bil cont. cap. i. § xxix..

DE DYSENTERIA

nova accedunt et miseros tandem jugulant.
Quae quidem proxime exponam.

PRIUS memorata, si saeviunt, praesertim tormina, dejectiones et vigilia, cito aegrotantium robur conficiunt. Febris lenta hecica supervenit (*w*). Magna circa praecordia anxietas, haud mediocriter eos degravat (*x*). Vultus pallescit et emortui imaginem refert; oculi caligant (*y*) et intus quasi subsidere videntur.—Extrema frigescent; quod, frigidi sudores, internis partibus praeter solitum calescentibus, subsequuntur. Dentes et linguam nigra crusta obducit. Hoc aphae gutturis adeo graves excipiunt, ut aegrè, aliquando nihil, devorari finant (*z*). Denique singultus qui circa initia levis fuerat, nunc constans et gravis urget.—Tandem sitis definit, tormina et dejiciendi cupiditas finiuntur. Varia visu mo-

(*w*) Pringel. loco ult. citat.

(*x*) Hoffman. oper. tom. iii. § ii. cap. vii. Coel. Aurelian. de morb. acut. et chron. lib. iv cap 6. Dolaei encyclopoedia, lib. iii. cap. v. Diemerbroek. loc. ult citat.

(*y*) Eller ait, “ Oculorum fulgor perit, dum cor-“ nea quasi nubecula obducta cernitur.” De cog. et cur. morb. § xiii.

(*z*) Degneri hist. dys. bil. cont. cap. i. § xxxii. Baglivi prax. med. lib i. cap. ix. Tissot avis au peuple, tom. ii. chap. xxiv. Baker de dys. Lond. p.

do albescientia et ichori similia (*a*), modo prorsus atra (*b*), cruorem putentem, saepe aquam qua caro abluta est (*c*), repraesentantia, aliquando viridescentia (*d*), nescio homine, alvo elabuntur. Spiritus foede olet; arteriae subsidunt et inaequaliter micant; nonnulli stupent (*e*), et leviter delirant (*f*). Postremo tantis aerumnis morte eripiuntur.

MORBI aetas apud alios scriptores alia re-
peritur, quorum tamen sententiis dissidenti-
bus ut medium quodammodo assumam, dy-
senteriam epidemicam intra vicesimum fere
diem plerumque desinire, dicam.

OMNIA dysenteriae, quam plenissime et
quanta maxima cum cura potui, dinumeravi,
quae utique, quod plerisque morbis commu-
ne est, neque uni neque duobus quibusvis
hominibus omnia conveniunt, sed in pluribus
aegrotantibus inveniuntur.

QUIBUS ex hoc morbo convalescere con-
varii fines,

(*a*) Eller de cogn. et cur. morb. § xiii.

(*b*) Monro's account of milit. dif. p. 62. Akensid.
com. de dys. cap. i. p. 29.

(*c*) Eller loco proxime citato; et multi alii.

(*d*) Ut Whyttius, supra aegrotantibus praelegens,
nos docuit.

(*e*) Monroii loco modo citat. Akensid. comment.
cap. i.

(*f*) Akensid. Iaco ult. citat.

DE DYSENTERIA

tingit, ii tarde ad perfectam sanitatem reducuntur, levissima in vietu culpa admissa, minimave frigoris aura ad eos adspirante, in pertinacem diarrhoeam incidentes. Neque tenesmus (*g*), haemorrhoides et anus procidens (*b*), multo post morbi abitum, rara sunt. Dysenteria quae pertinax fuit, saepe inveterantem lienteriam relinquit (*i*). Post alvum diu fusam corpora soluta et pituitosa saepe in hydropa (*k*) incident.

*Quae, cada-
veribus in-
cisis, obser-
vata sunt.*

CADAVERA incisa, intestinorum tractum perpetuo laborare, docent. Nec vicina quoque viscera interdum affici, inficiandum est. Quod tamen, quia casu tantummodo fit, neque ab ipso morbo necessario oritur, aut ejusdem natura quae sit, explanat, praetereundum censeo.

CADAVERA a MORGAGNIO, PRINGELIO, CLEGHORNIO, BAKERO et MONROIO aperta, amplorum intestinorum anfractus magis, quam tenuiorum, laborasse, quoque longius ab illis receditur, eo saniora omnia loca fuisse, demonstrant. Sed et tenuia haud

(*g*) Sydenhami oper. sect. iv. cap. iii. Cleghorn's dif. of Min. ch. v.

(*b*) Akinfid. loco ult. citat.

(*i*) Hoffman. loc. proxime citat. Baker de dys. Lond. p. 23. Lieutaud precis de la medicine, liv. i. § iv.

(*k*) Hippocratis aphor. sect. vi. aphor. 43. Akenfid. loco modo cit.

mediocriter saepe inflammari (*i*), interdum exulcerari (*m*); adeoque, ipsum pylorum (*n*), ipsumque ventriculum (*o*), mortuum esse, acceptimus.

INTESTINA in conspectum incidentibus data, extrinsecus magis aut minus fuisse inflamata, atra, vel liventia nonnullis, esse apparent. Eorum tunicae plerisque praeter naturam, crassae sunt, quod inflammationem fuisse, certo notare PRINGELIUS confirmat,

EORUNDREM quae ampla sunt, intus naturali muco orbata, alicubi tunica villosa abrasa carere, plerisque exulcerata et mortis speciem praese ferentia; multis aere distendi; multis tubercula dura visuque varia (*p*) habere, hisque et tunicarum crassitie insigniter coarctari; nonnullis, parvis foraminibus stercus et alia contenta in cavum abdomen (*q*) per omnes tunicas transmittentibus perforari; quaedam puris copiam continere (*r*), visa sunt. MONROIUS (*s*)

(*i*) Cleghorn's dif. of Minorca, ch. v.

(*m*) Dolaei encyclopediæ, lib. iii. cap. v. p. 429.

(*n*) Idem, ibidem.

(*o*) Pringle's observat. part iii. ch. vi. § 2.

(*p*) Baker de dys. Lond. prope finem. Pringle's obs. part iii. ch. vi. § 2. Cleghorn's dif. of Minorca ch. v.

(*q*) Baker de dys. Lond. prope finem.

(*r*) Boneti sepulchret. anatom. vol. ii. lib. iii. sect. xi. obs. iv. Johannes de Lamoniere de flux. dysent. cap. 7.

(*s*) Account of milit. dif. p. 65.

exiguas vesiculas putente ac male olente materia plenas ibidem reperit. Idem ALEXANDER WOODIUS amicus meus dignissimus, hujus urbis chirurgus peritissimus, se quoque semel vidisse, testatus est.—Mesenterium et mesocolon faepe, ex intestinorum vicinitate, magis aut minus inflammata et mortua reperta sunt.

Si ad numerum dysenteria peremptorum cadaverum incisorum certe nondum magnum, quae in uno inciso ipse praesens vidi, adtexero, haud alienum a re fore opinor.

HOMO quidam annos xxxix natus, robustus, pridie kalend. Novemb. anno post natum Christum MDCCLXV Nosocomio Divi THOMAE Londinensi, acceptus est. Quo tempore omnibus Dysenteriae consuetis malis premebatur, et novem ante dies pressus erat. Quibus tandem exitialia supervenientia quinto die, quam ad nosocomium acceperat, miserum jugulaverunt.

APERTO deinde cadavere, omentum multum inflammatum cernebatur. Intestina extrinsecus nihil decolor habere, intus vero per totum tractum morbo multum affecta, videbantur. Rectum autem et colon, prae ceteris, laborasse, cernebantur; quippe quorum tunicae

tuuiae quartam digiti partem crassae essent, colon vero cavum nusquam duas pollicis tertias partes transversum superaret. Eadem interna nigrescere et mortua fuisse, et pluribus tuberculis duris, figurarum inaequalium, quarum maxime communes eadem, qua faba equina, fere magnitudine, perpaucæ majores, erant, consita intuebamur. Intestina gracilia universa corrugata inflammationem præiisse significabant, sibique minus morbi, quo longius ab amplis excurrerent, incubuisse, monstrabant. Quin et ipse ventriculus et stomachus cum mesenterio et mesocolo fuerant inflamma-ta. Glandulae vero mesentericae fere integræ erant. Universorum intestinorum vasa sanguifera sanguine distendebantur. Reliqua omnia viscera prorsus sana videbantur.

PROXIMUM est, quaedam discrimina, qui-Dysenteriae bus dysenteria a Diarrhoea, morbo cholera et ^{et quorundam morborum illi} Haemorrhoidibus, quibus est simillima, inter-noscatur, notare. Quamvis enim una nota ^{similium} dysenteriae epidemicae propria plerumque fatis manifestum discriminem det, scilicet con-tagio; tamen, quia eadem non est perpetua, et sine ea morbus interdum nasci potest, alia, quibus hi morbi inter se differant, exponenda sunt.

diarrhoeam, TORMINUM saevitia, quae diarhoeae saepe defunt, semper lenia sunt; dein exiguitas et species alvo redditorum, quae in diarrhoea, multo copiosiora et frequentiora sunt, minus male olent, mucique minus auferunt; tum actiones ventriculi turbatae; postremo febris, in profluvio alvi rara, in dysenteria perpetua, hanc satis ab illo distinguunt.

choleram
morbum,

PORRO ejusdem et cholerae morbi discrimina sunt, vomitus constans perpetuus et saevus in hac, in illa saepe absens, semper inconstantior et mitior; aetas hujus multos amplius xxiv horas (*t*) non tenentis, plerosque quatuor dies, nullos ultra septimum morantis (*u*); ardor et circa praecordia anxietas dysentericos fero, cholericos ab ipso initio, exercentia.

haemor-
rhoides,
comprehen-
dentia.

POSTREMO sanguis raro purus variisque rebus coloratis et viscidis mixtus, alvo elabens, neque has ille protinus praecedens, idemque plerisque copia minor, neque pro sanguinis copia ablata levamen consequens, cum in haemorrhoidibus quo plus sanguinis profluxerit, eo magis tormina mitescant; praeterea, tormina

(*t*) Sydenhami opera, sect. iv. cap. ii. p. 175.

(*u*) Hoffmanni opera, tom. iii. p. 152.

perpetua et saepe faevientia, et febris quoque perpetua, dysenteriam non haemorrhoides esse, declarant.

MATERIAM acrem intestina petentem, stimulandoque frequentiores et vehementiores contractiones excitantem, causam dysenteriae proximam esse, inter omnes convenit. Quae tamen materia qualis sit, non etiam constat, dum variam ei naturam scriptores, aliqui aliquam tribuunt. Ego vero qualis qualis sit, eam unam eademque natura semper esse, arbitror; epidemicam autem dico. Neque inficias eo, sporadicam posse a variis acribus rebus oriri. Et si ad multiplicem hujusmodi materiam scriptores confugerunt, id mihi, quod plures fluentis alvi species pro dysenteria habuerint, fecisse sanè videntur. Sed, quoniam dysenteriam epidemicam solam tractandam putavi, ideo quae sit causae eam continentis et proxime efficientis natura, solum inquiram.

ACREM materiam, dysenteriam proxime facientem, putentem esse, argumento sunt; hujus morbi eo semper anni tempore, quo alii putentes dominantur, adventus, hisque rufus evanescentibus, scilicet frigidis diebus accendentibus, decessus; dein scorbutici, quorum humores putentes esse omnes fatentur

tur, maximè eo periclitantes, idemque saepe febribus malis putentibus adhaerens; præterea vapores sanguinis putentis soli eum aliquando efficientes (*w*); tum natura ejus manifesto contagiosa, quippe plerique morbi contagiosi putente esse natura conceduntur (*x*); ad hoc causae ejusdem omnes putredinem foventes; porro foeda et putens alvo redditorum odor; denique magna aëris copia semper in intestinis nascens; postremo ea quae cum circa morbi finem apparent, tum cadavera incisa, putredinem intestinalium fuisse demon-

(*w*) Pringelius sic loquitur: “ This notion of a putrid ferment was further confirmed to me, by a case which occurred, of one who was seized, indeed in a slight degree, but with a true dysentery accompanied with bloody stools, by making experiments upon human blood, become putrid by standing for some months in a close phial. This instance seemed to me the more decisive, as it happened at a time when the distemper was not heard of; and to a person in perfect health, who had formerly attended many dysenteric patients without being infected.” Observ. on the dis. of the army, part. iii. ch. vi. § 3.

(*x*) Hoffmannus, “ Omnes affectiones,” ait, “ quae contagio inficiunt, putridas exhalationes pro vera causa et fundamento agnoscunt, quae altius penetrando, instar seminii seu fermenti humores jam dispositos inquinant, et in suam convertunt naturam.” Opera, tom. iii. de scorbuto.

strantia.

strantia. Ergo dysenteriam a putredine contineri vix est dubitandum.

ITAQUE haec putens acris materia, internum intestinorum cavum irritando, violentos convulsivos motus efficit. Hi motus sunt natura noxam emoliri nitens; quod adeo non praestant, ut e contrario ejus augeant copiam atque sic quasi altera morbi causa fiant. Varorum enim, quorum, in cava intestina, ora inhiant, actione sic excitata, major quoque humorum illis contentorum vis eodem infunditur, ibique putenti materiae mixta eandem, quam haec, naturam acquirit, et magis magisque acris redditur. Quo stimulo affidue sic admoto intestina inflammantur, exulcerantur et partim moriuntur: Haec igitur res pleraque morbi explanat.

HANC vero causam faciunt, quaecumque humores putrefaciunt et hos ad intestina derivant. Quorum de utrisque, cum hanc humorum putredinem prius esse ostendero, verba deinde faciam.

HUMORES omnes dysenteria laborantibus vitiari, sanguis e vena missus semper dissolutus, et infantes lacte materno infecti, probant. Brunerus, quandam mulierem dysen-

teria laborantem, cuius infans modo perierat, ideoque lacte abundantem, catulum ad mammulas applicuisse, eoque mox convolutionibus jugulato, alterum tertiumque pariter admotos pari casu abreptos esse, memorat.

Hoc vitium
esse putre-
dinem pro-
batum. HAE igitur res humores corruptos evincunt.

Quin et argumenta ad causae proximae natu-
ram explicandam adlata, quorum pleraque huc
quoque adferri licet, eosdem vel revera puten-
tes esse, vel in putredinem, simul ac in com-
munia corporis receptacula secernuntur, ru-
ere, monstrabunt. Quam putredinem quae
faciant jam inquiramus.

Putredinem
quae faci-
ant, CORPORIBUS nostris putredinem, ardens
coelum, excretiones, praeceteris, perspira-
tionem impedientia, immodicus carnium usus,
exhalationes contagiose, putentesve, objici-
unt.

coelum ar-
dens ; COELUM diutius ardens in putredinem nos-
tra corpora dissolvere, humores putrefaciendo,
omnes fatentur ; quo autem modo hoc fiat,
dubitatur. Plerique, ardores, firmas partes dis-
fociando, humores rarefaciendo, horum mo-
tum intestinum excitando partesque subtilio-
res dissipando, ad putredinem ducere, opinan-
tur. Contra est qui corpora nostra illos pro-
tinus

tinus putrefacere negat, sed cum humore utique coniunctum, id secundo quasi loco praeftare, scilicet animantium et terra nascentium partes quae circumcirca sunt, corrumpendo et corrupta corporibus humanis tradendo (y). Ego utro modo ardor agat, non dicam, satis que ad rem esse, quod putredinem utrovis faciat, existimo. Itaque cum omnes ardens coelum putredinem movere concedant, dysenteria vero circa aestatis finem vel autumni initium, quo tempore coeli summus ardor est, fere semper incidat, semperque prout ardentior aestas praecedens fuerit, ita morbus magis saeviat (z), et a putente humorum statu, id quod ostendere sum conatus, oriatur; nonne ardores coeli diuturniores, ad putredinem movendam et dysenteriam excitandam, plurimum posse, fatendum est?

ITEM omnia quae paulatim solitas excretiones, et ante omnes, perspirationem, inter arendum, imminuunt, humorum augent putre-

(y) Argumenta, quibus haec opinio defenditur, scire cupidos, ad Disputationem Inauguralem ingeniosam E-dinburgi superiore anno a RUSTONIO Pan-sylvaniensi in lucem editam, relego.

(z) Vid. Pringle's observ. part iii. ch. vi. § i. p. 224. Hoffmanni opera, tom. iii. p. 154. Hillary on the dis. of Barb. p. 203. et multos alios.

dinem. Conceditur enim nimium calorem subtiliores, vel ut aliter dicam, potentiores corporum humanorum partes dissipatas auferre. Quarum partium potentium si quae quocumque modo paulatim intus retinentur, eae paulatim quoque universos humores in suam naturam mutabunt.

PERSPIRATIONEM, vero, cum alia forsan, tum humidi vapores et fordes, occludunt.

HUMIDI vapores ab aquis stagnantibus summissi, firma corporum resolvendo, haec muneribus suis ritè fungendis inepta reddunt. Quo fit, ut secretiones et excretiones, quotquot sint, prae caeteris perspiratio, aliquanto minuantur; ideoque subtilium humorum, quos coeli ardor putrefecerat, corpore intus pars aliqua retineatur ibique, ut ante dictum est, pro fermento agant. Neque vero solus vapor hoc praestare dicendus est, sed putredo ex multis animalium et terra genitarum partibus in iisdem aquis forte corruptis oriens, ut suo loco postmodo ostendetur, eodem etiam tendit. Humidos vero vapores hoc facere, morbi putentes in locis humidis palustribus aut sylvestribus, quam in siccioribus, adeo frequentiores, probant; ut igitur humorem sub vaporis forma corpora irrorantem ea putrefacere minime sit inficiandum. Porro omnium fordinum genera, subtile putrescentes halitus per cutis

cutis foramina exire debentes intus retinendo, putredinem insuper movent. Quod si pauperculos homines dysenteria et omnium putentium malorum genera frequentiores corripit, quam eos qui in lautiore re sunt, id certe ad hanc causam acceptum referendum est.

PRAETEREA carnes immodice sumptae sine ^{carnium im-}
^{modicus u-} recentibus oleribus, praesertim putredini pro-
ximae, eadem conditae aut salitae, aqua cor-
rupta potata, et similia, manifesto in putredi-
nem humores nostros impellunt. Quam opi-
nionem scorbutum toties in navibus diu et pro-
cul a terra obversantibus, magisque, si modo
narrato victu nautae uti necesse habuerint; si-
cuit et dysenteria et alia in putredine posita ma-
la eos, quibus res angusta meliore victu inter-
dicit, potentia, manifesto probant.

DENIQUE contagio corpore recepta, in su-^{contagio;}
am putrescentem naturam humores nostros con-
vertere, non est neganda. Nonne enim exiguum
variolosae materiae aliquid corpori per exigu-
am quoque plagam insertum, intra paucos dies
universos ejus qui sanus ante visus est, humo-
res manifesto mutat? Quoniamque contagio-
sa quoque dysenteria est, quis, semina conta-
gionis in suam naturam putentem humores jam
ante putredini opportunos, prius vertere; de-
in quadam hujus proprietate, una cum illis sic
corruptis,

DE DYSENTERIA

corruptis, in intestina ruere, et morbum facere, negabit? Profecto, ut actionis ejus proprietatem, quaecumque sit, omittam, plures ex contagione quam ulla alia causa, in hunc morbum implicantur. Adeoque, cum dysenteria multis jam communis fuerit, quinquagenos contagione correptos in eam incidere, ubi singuli ex aliis casibus eadem vix afficiuntur, ipse PRINGELIUS (*a*), testatur.

putente natura halitus. POSTREMO putrescentes halitus, a multitudine in angustum locum concluforum corporum, dimanantes, humores humanos quoque putrefaciunt. Idem praestant aquae stagnantes, in quibus multa ex animalium, multa ex herbarum natura, quiescentia corrumpuntur, de quibus supra relatum est. Horum partes subtiliores usque sub aëra volitantes, ad corpora hominum illabentes et in horum pulmones permanantes, hujusmodi locis accolas in summum putredinis periculum deducunt.

MEMORATIS iis, quae putente natura ita humores afficiunt, ut dysenteriae simus opportuniores, quae res ad intestina p[ro]re reliquis locis putentes jam humores derivent, proximum est exponere.

(*a*) Pringle's observat. part iii. ch. vi. § 3. p. 263.

HUMORES corruptos ad intestinorum tractum, perspiratio impedita; acriter alvum purgantia; fructus liquoresque fermentati; et contagio; dimitunt. Putrefactos humores in intestina vertentia,

Ut ante ostendimus perspirationem paulatim imminutam humores corruptos putrefacere, ita eandem subito occlusam hos ad intestina transmittere et morbi initium facere, pergitimus ostendere. Perspiratione jamdudum minuta et humoribus ideo potentibus intus retentis, si vel omnino vel magna ex parte subito suppressa est, magna potentium vaporum copia subito in interiora rejicitur, quae nisi aliis viis corpore mature exierit, in aliquam partem decidens morbum faciet, perinde ut in hac re. Inter cutem vero et intestina insignis confensus intercedit, ita ut excretione per alteram minutam, per altera que fit augeatur. Itaque in hoc morbo in intestina retenti humores rejiciuntur. Qui quoniam acres et putrescentes sunt, ut illorum tunicas irritent et tormina ideoque reliqua morbi excitent, necesse est.

PERSPIRATIONEM vero frigidus ac humidus aér, praesertim ardores excipiens, quovis tempore inaequalis; animi denique perturbationes, occludunt.

DE DYSENTERIA

FRIGIDUS cum humore aër ad summa nostra corpora adspirans, vasis cutis adstrictis, noxiā perspirationis materiam solito exitu prohibet, eaque, quam explicavi, ratione, in intestina conjicit morbumque ita efficit. Sed periculum augebitur, si hujusmodi coelum dies calidissimos exceperit; itaque dysenteria raro turbas ineunte mediave aestate, sed fere semper hac desinente autumnove incipiente, corripit; quo tempore vespertinae et nocturnae horae frigidae aestuantibus diurnis succedentes, cutis foramina subito, ut modo dixi, adstringunt. Praeterea multi, qui tempestatis coeli que vicissitudines diutius observatas tabulis prescripserunt, semper dysenteriam, magnis imbris decidentibus, et coelum aestuans subito refrigerantibus, protinus incidere, et pro horum vi et copia ita frequentiorem fieri, animum adverterunt. HILLARIUS, qui tempestatum genera per aliquot annos in Insula Barbadiensi observavit, hanc rem in primis memorat (b): Porro, hoc morbo laborantium plerorumque cutis manifesto arescit; et si quibus apertiora illius foramina sunt, iis tormenta plane mitescunt.

(b) Vid. Hillary's diseases of Barbadoes, p. 18—25—
26—70—78—95—100—120—203—205.

Ex animi perturbationibus metus et animi dolor perspirationem suppressare reperta sunt (*c*), quae, humoribus jam ante putrescentibus, ideo noxa in intestina repulsa, protinus dysenteriam facient.

ACRIA alvum purgantia tum data, cum hu-^{alvum acri-}
mores jam in putredinem ruunt, intestina ^{ter purgan-} sti-^{tia} ;
mulando, vaseaque horum ut majori copia puten-
tes humores profundant, faciendo, idem quo-
que praefstant.

NON vero ita pridem fructus pro dysente-^{fructus} ;
riae causa gravissimi viri habuerunt, quos tamen
recentes, iisque praeclaris (*d*) profus rejecerunt,
et putrescentem morbum excitare ipsos putre-
dini contrarios, non credebile esse, contem-
dunt. Verum si meam interponere opinionem
liceat, licet fructuum copiam sumptam adeo
non facere dysenteriam ut ei occurrat, sciam,
tamen, cum humores ad putredinem sponte
tendant, et homines admodum sint irritabiles,
nonnullos fructus, intestina irritando, aliquan-
do dysenteriam eodem modo, quo ante acriter

(c) Vid. Sanctorii aphor. sect. sept. de anim. affect.

(d) Pringle's observ. p. 20. et 88. ult. edit. Baker de
dysent. Lond. et Tissot avis au peuple, tom. ii. chapit.

purgantia diximus, excitare posse opinor. Quoniam enim fructus alvi profluvium efficere constat, cur non, si humores quodammodo prius ita afficiuntur ut opportuni ei sint, iidem et dysenteriam facere posse putandi sunt.

contagio. POSTREMO cum contagio adeo subito interdum agat, eam quoque, humorum putentium in intestina profluvium percitare et morbum facere, credendum est. Cujus rei ut rationem exponere tentem, corpuscula contagiosa, certam humorum nostrorum partem ad se prae caeteris trahere, verisimile est; itaque ut cantharides cum urina, mercurius cum saliva praecipue se conjungit, sic contagionem cum bille coire et in intestina simul praecipitari arbitror; eoque magis, quod bilis in primis viis solito abundantioris, incipiente dysenteria, non defunt indicia.

De eventu
morbi judi-
cium.

DE eventu morbi agens, ea praesagia quae maxime sint communia, et ad certissimam futuri cognitionem ducant, proponam; verum subtile, et, quia a diversis saepe rebus pendent, ideo saepe contrarias, multorum conjecturas vitabo, ne incerta pro certis exponendo, legentes perturbare non rem illuistrare videar.

DYSENTERIA multis communis semper periculosa est; periculosior imbecilla et mollia corpora, quaeque morbis vel affixa sunt vel affliguntur, quam robustos et valentes, corripiens. Ad scorbutum, cachexiam, luem venereum et similia mala in quibus humores vitiantur, accedens, periculosissima (*e*) reperitur. Eadem pueris, lumbricis laborantibus, gravior, quam hoc dolore parentibus incidens (*f*). Gravidis mulieribus plerumque exitialis est.

DEINDE si caetera paria sint, et a variis morbi signis sit judicandum, quo graviora omnia febris sunt, eo plus est metuendum. Violentior initio morbi vomitus, ventriculum magnopere irritari, ideoque inflammationis et periculi tanto plus futurum, praenunciat (*g*). Sanguis mature aut magna copia alvo effluens citam perniciem minitatur (*b*). Quo graviora

(*e*) Hoffmannus, "Ubi malum cacheeticos, scorbuticos, phthisicos corripit, aut debiliores et qui diuturnis animi perturbationibus se macerarunt, plerumque conformatum de iis est." Opera, tom. iii. p. 155.

(*f*) Sennerti opera, tom. iii. p. 453. Hoffman. op. tom. iii. p. 155.

(*g*) Baglivius omnes quos nausea magna vomitusque exercuerat perisse observavit. Prax. Med. p. 110.

(*b*) Lieutaud precis de la medecine, liv. i. sect. iv. p. 313.

DE DYSENTERIA

tormina, quo frequentiores dejectiones, aut diurniores vigiliae fuerint, eo pejor erit eventus. Singultus incipiente morbo incidens, non est metuendus (*i*) ; hoc autem provecto, superveniens, multum metus habet (*k*). Extremorum frigus, frigidi fudores, praecordiorum anxietas, apthae gutturis et devorandi difficultas, mortem fere semper significant, ut pote post quae perpauci mortales convaluerint. Subitus torminum finis, alvo redditia cadaver olentia, aut nescio homine elabentia, foedus spiritus odor, arteriae subsidentes et inaequales, exitium in propinquuo esse, indicant.

CONTRA, febriles affectus paulatim evanescentes, cibique imprimis augescens desiderium, dejecta minus frequentia et sterco naturali similiora, tormina et desidendi cupiditas lenita, quies et animus vividior, summam spem salutis faciunt.

Curationis
genus,

HIS morbi ad quae in curatione respiciendum est expositis, ad hanc transeundi jam tempus est ; eamque in sex partes diducam.

(*i*) Sennerti opera, tom. iii. p. 453. Pringle's observ. part iii. chap. vi. § 1.

(*k*) Degneri hist. dys. bil. cont. cap. i. § xxxii. Eller de cogn. et curand. morb. sect. xiii. p. 267.

PRIMA, ea quae intestinorum inflammationi eius partes et consilia; futurae occurunt, cooptamve solvunt et febrem denique levant ; ALTERA, ea quae acrem è primis viis materiam, purgando, ejiciunt ; TERTIA, quae hujus materiae partem subsisten- tem corrigunt, hebetant diluuntque ; QUAR- TA, humorum colluviem ab intestinis ad sum- mum corpus revocantia, comprehendent. QUINTA, urgentes affectus leniendos ; NO- VISSIMA, tonum intestinorum restituendum, et morbi redditum praecavendum, sibi vindica- bunt. QUAS communes medendi divisiones ordine persequar.

UT igitur ad primam redeam, ut inflammatio- primum, namentem in dysenteria fieri incisa cadavera ostendunt, ita illam etiam circa initia fieri, tormina tum saevientia, declarant. Pro- fecto, quamlibet nostrorum corporum partem ubi irritatur, inflammari, et inter alias intestina post brevem torminum moram posse, non est negandum. Praeterque hoc febris, quae non semper ab origine esse, sed torminibus jam saevientibus saepe accedere, relata est, inflammata prius intestina, argumento est. Huc gravissimorum auctorum testimonia, et prae caeteris HUXHAM, accedunt, qui raro dysente- riam per populum graffari, quin intestina sem- per inflammentur, affirmat (*i*).

(*i*) De morb. epidem. vol. ii. p. 290.

CUM omnibus inflammationibus commune remedium sanguinis detractio sit, ideo etiam in hoc morbo inde incipiendum videretur; quod tamen, quia humores in putredinem ruunt, multi vetuerunt. Verum cum inflammationem non minutam plus adferre periculi, quam sanguinis aliquanti jacturam, manifestum sit, hujus, ineunte morbo, si graviora modo tormina sint, missione minimè negligendam opinor; eoque minus, quod praeclarissimi viri (*m*) hanc sententiam firmant. Neque tamen venam secari ita praecipio, ut id vel in imbecillis omnino, vel in quibuslibet, nisi quod primum detractum est tormina parum levaverit et corpus plenius sit, saepius fieri judicem.

VERUM, licet adeo utile atque etiam necessarium sit sanguinem detrahere, tamen, nisi circumspiciamus et alia praesidia exploremus, voti compotes non erimus. Medicamentis enim inviscantibus acris materia hebetanda, et magnâ tenuium tepidorum liquorum copiâ di-

(*m*) Hoffman. op. omn. tom. iii. p. 158. 163. Sydenh. op. sect. iv. cap. iii. Pringle's observ. part. iii. ch. vi. § 4. Monro's account of mil. dif. p. 68. Cleghorn's dif. of Minorca, ch. v. Hillary's dif. of Barbad. p. 208, 209. Lieutaud precis de la medicine, liv. i. sect. iv.

luenda est. Quibus utrisque in hac curationis parte summopere opus est. Sed cum eadem etiam magis ad tertiam pertineant, priusquam illuc pervenero, de iis nihil amplius addam.

AQUA tepida in alvum immissa mirum in modum intestinorum inflammationem lenit, sed quia hoc incommodi habet, ut toties adhiberi nequeat, quoties ea opus est, ideo calida cataplasmata ventri extrinsecus admota, idemque calida aqua fotus, proximum auxilium promittunt.

OMNIS cibus calefaciens aut stimulans cum cura vitandus est, nec quovis quidem multum opus est; siquidem ut PRINGELIUS (*n*) observavit, post quodlibet cibi genus, semper tormina ingravescunt. Verum si paululum requiritur, id ipsum levissima natura et concoctu facillima sit, et ex pane, salab, sago, oryza, hordeove confectum, ac lacte aquave adjectis, coctum. Neque tenue dilutum juscum homini id desideranti negandum est.

CUM vero febris inflammationem saepe sequatur, semperque hac exasperetur, eâ minu-

(*n*) Observ. on the dis. of the army, part iii. ch. vi.
§ 4.

tâ, febrem quoque minui, manifestum est. Quae utique si ab alia forte causa nata sit, ea medicamenta, quae in quarta divisione memorabimus, respondebunt.

secundum; ACREM materiam primis viis educunt supra et infra purgantia. Illa, nisi manifesta ventriculi inflammati signa sunt, quod tamen rarius usu venit, aut aegrotantis vires parum eorum concussus tolerant, incipiente morbo, dari semper oportet; eoque magis, quod cibi fastidium, nausea, vomitus, ventriculi morsus, amarus in ore sapor, plerosque dysenteria adfici coeptos exercent, et fere semper ventriculum purgandum esse, indicant. Praeterea ventriculum purgantia, hoc deterso, faciliorem viam alvum purgaturis faciunt, ideoque horum effectus certiores quoque reddunt. Ex emeticis lenissima, certissime agentia, minimeque stimulantia, qualis ipecacuana est, reliquis anteponuntur. Hujus plus minusve, a denis granis ad scrupulos singulos, singulis binisve tartari emetici granis interdum, prout natura hominis aliaeve caufae postulent, adjectis, dari licebit. Ejusdem actionem tepidae aquae copia hausta, aut, quae multo praestantior est, aqua etiam tepida, in qua chamomeli flores sint infusi qui putredini resistunt ideoque huic morbo maxime convenient, adjuvare, utile erit. Certe

PRINGELIUS

PRINGELIUS chamaemelum sic paratum plurimum prodesse reperit (*o*). Quod si, priore emetico sic dato, affectus supra relati non decesserint, si nihil vetat, altero dato erit opus (*p*).

PAUCIS deinde horis post emetici actionem absolutam, medicina alvum bene purgans ingерatur. Neque enim ullam rem scio ejus usui repugnantem. Quae vero alvum purgantia quibus anteferenda sint, scriptores inter se dissentunt. Degnerus solum rhabarbarum dare confuevit; quod ei adeo perplacuit ut sine hoc prius dato se nolle unquam morbi curationem suscipere profiteretur, propriaque idem dysenteriae tollendae facultate praeditum, dicere non dubitaret. Idem etiam PRINGELIUS semper, calomelane tamen, ut certius alvum citet, adjecto, praecipit. Quod si meam interponere opinionem liceat, nulla in re rha-

(*o*) Observ. on the dis. of the army, part iii. ch. vi.

§. 4.

(*p*) Degnerus multis aegrotantibus ventriculum ter ipecacuana, ubi nulla magnae inflammationis aut loci mortis signa apparebant, purgavit. Hist. dys. bil. cont. cap. ii. § xxv. Et Rouppe, “Si putrida,” ait, “materia in primis viis haeret, una vel altera dosi pulveris ipecacuanæ exturbanda est, praecipue si suspicio est natu morbum per contagium inductum fuisse.” De morb. navigant. p. 216.

barbarum reliquis alvum moventibus praestare dicam. Quin vis ejus adstringens, purgantem fere semper subsequens, acria, quae morbi materiam continent, intestinis retinendo, ut opinor, non nocere non potest. Praeterque hoc, quia incertum medicamentum est, hoc etiam nomine rejiciendum, arbitror. Neque senam, quam SYDENHAMUS semper preecepit (*q*), illo accommodatiorem judico. Siquidem, si etiam homini sano et integro tormenta semper excitat, ut eadem jam ante excitata exacerbet et augeat, et igni oleum addat necesse est. Cui utriusque medicamento salem glauberianum manna adjecta, quam medicinam vir egregius DONALDUS MONROIUS prudenter nuper inculcavit (*r*), longe antecellere contendeo. Quid enim magis idoneum esse potest, quam in morbo, cui et refrigerantibus et bene alvum moventibus opus est, id dare, quod utraque hac proprietate maxime est insigne? Cui tamen medicinae vitio est versum, quod intestina stimulet atque sic inflammationem augeat. Sed de omnibus aliis, quot quot alvum purgent, idem dici licebit. Quo enim alio pacto nisi intestina stimulando, haec, quae-
so, purgare credenda sunt? Ad hoc, cum fa-

(*q*) Opera, sect. iv. cap. iii.

(*r*) Vid. an account of mil. dis.

lem glauberianum reliquis omnibus lenius purgare constet, nonne ideo minus etiam illis stimulare fatendus est?

PORRO, licet alvum medicamento circa initium praecipitare sit utilissimum, tamen, nisi idem frequentius postea fiat, curationem bene processuram, non est verisimile. Ut enim acris materia assidue in intestina profunditur, ita assidue quoque eandem emoliri oportet. Ad quod certe alvum purgantia maxime sunt efficacia. Itaque mannae aliquantum omnibus potionibus solvendum et simul sumendum, censeo. Vel si id minus gratum fuerit, mannae optimae drachmas senas, vitelli ovi drachmas binas, olei amygdalarum uncias dimidias, in mortareo marmoreo, donec intime miscantur, contritas; hisque paulatim salis glauberiani drachmas ternas, aquae ex fonte petratae et igne ferventis, uncias ternas, super infusas, quotidie mane et vespere, hauriendas, existimo. Utilitatem alvum moventium peritissimus quisque agnoscit. YOUNGIUS in horum usu frequentiori praecipuam curationis partem consistere expertus est (s). MONROIUS,

(s) Ille “nonos e denis dysenteria laborantibus ad faliutem, assiduo alvum mollientium, eandem molliter ducentium, et jusculti pullini usu, reduci posse,” affirmat. On opium, sect. vii.

incipiente utique morbo, frequenter alvum, quo putentes humores ejiceret, feliciter fudit (t). PRINGELIO auctore PATERSONIUS quidam chirurgus ter die rhabarbaro leniter purgasse, et molestissimos affectus sic levasse, dicitur (u). Quin et ingeniosus quidam vir, qui in cohorte Britannica proximo bello chirurgi munus in obsidione Havanna obibat, dysenteria per milites cum strage graffante et totas turbas jugulante, multisque medicamentis quae torminum saevitatem lenirent, frustra datis; fese tandem salis glauberiani et mannae aliquantum confuetis potionibus miscuisse; quibus milites epotis, si praesentia cum praeteritis conferrentur, se fibi vel in insulis beatis vel in elisiis campis versari videri, dictitasse, nuper mihi testatus est.

tertium,

VERUM ut ad tertium medendi consilium transeam, quaeque acrem materiam potissimum corrigant, monstrem; antiseptica, quoniam hunc morbum putrefcente natura esse relatum est, ita potentissima esse fateor; ut tamen, propter vim adstringentem omnibus iis, qui huic morbo possunt convenire, communem, hoc morbi tempore, ea adhibenda negem; neque,

(t) Account of milit. diseaf. p. 71. et sequent.

(u) Pringle's observ. part iii. ch. vi. § 4.

antequam morbi saevitia remiserit, permitta-
da concedam. Quorum tamen cortex Peruvi-
anus a nonnullis commendatus est, quem equi-
dem, apud Indos Orientales et in aliis regionibus
ardentioribus, ubi dysenteriae natura etiam
putentior quam sub coelo frigidore est, saepe
prospere dari, accepi. Verum, cum neque
auctor quisquam idem literis tradiderit, neque
ipse dando ei interfuerim, non hoc morbi tem-
pore, illum praecipere, sed alio postea et pe-
riculosiore, ausim. De quo suo loco dicetur.

AD acria vero hebetanda, mucilaginosa ac-
commodata sunt. Hujusmodi sunt gummi A-
rabicum, tragacantha, althaeae et glycyrrhizae
radix, cydoniorum semina et aqua in qua ory-
za decocta et ad tenuem mucilaginem coacta
est. Haec interiorem ventriculi et intestino-
rum partem obducentia, ut acres res interio-
rem horum tunicam minus rodant, efficiunt.
Cavendum tamen, ne haec eadem mucilagino-
sa nimis sint densa, atque ita ventriculum one-
ratum degravent. Degnerus radicem salab dictam,
ad acrem earum rerum naturam hebetan-
dam, imprimis esse efficacem, affirmat. Unde ego
mucilaginem confectam aliis quibusvis praefare
quoque opinor. Praeterque hunc ejus
ufum, eandem pro cibo etiam dari conveniet.

ITEM cera varie parata a compluribus scriptoribus commendata est ; eam cum sapone aqua solutam PRINGELIUS (*w*) praecipit. Eandem spiritibus vinofis solutam Batius (*x*) tantam proponit. Eandem etiam, cum per castra dysenteria diutius esset graffata, multorum remediorum periculo frustra facto, lacte solutam, raro non saluti fuisse, DIEMER-BROECKIUS firmavit (*y*). Evidem, licet non inficias eam, quin cera acres res obvolvere et sic prodeesse queat, tamen cum et gravior et ingravida sit ventriculo mucilaginibus supra memoratis, neque ullam virtutem non iis quoque communem possideat, has illi antependas opinor.

PORRO magna tenium diluentium potionum copia subinde hausta praecipuam curationis partem absolvit, id quod gravissimorum virorum testimonia probant (*z*). Neque nesci-

us

(*w*) Observ. on the dis. of the army, part iii. ch. vi.
§ 4.

(*x*) Vid. Pharmacop. Batean. in formulâ *Butyrum Cerae*.

(*y*) Annotat. ad observat. xxviii.

(*z*) Ita Huxhamus nulli morbo diluentia dulcia quam dysenteriae magis prodeesse, seque, purgatis primis viis, folius deinde aquae tepidae cum opii paululo, nonnullos sanasse, dicit. De morb. epidem. vol. ii. p. 107. Tif-
fot

us sum, eadem haec, perspirationem expediendo, magna ex parte, illud auxiliū praestare. Sed et acres res obvolvendo et diluendo, id quoque efficere, non sunt neganda. Quae vero sic potui dentur, aqua in qua vel oryza vel hordeum sit decoctum, emulsio Arabica, serum vaccinum et similia, maxime sunt idonea.

PORRO, ut perspiratio impedita saepe in ^{quartum} intestina humorum cursum dirigit, id quod jam ante probare conatus sum, ita ut iidem ad summum corpus revocentur, proximum est consilium. Hoc autem perspirationem expedientia vel sudorem moventia, faciunt. Mihi que persuasum est sudorem moventia sola, si modo aegrotantis corpus a frigore defendi possit, curationem posse perficere. Cum vero frequens alvus propè certum frigoris periculum inferat, ab illis ideo abstinentiam, leniterque cutis foramina aperientibus solis insis-

sot ait, "J'ai guéri plusieurs dysenteriques, en ne leur ordonnant pour *tout remede*, qu'une tasse d'eau tieude tous les quarts—d'heure." Avis au peuple, tome ii. chapit. xxiv.—Baglivius, "Saepissime dysenterias profligavi solo fero lactis intus dato, et per clysteres injecto." Prax. med. lib. i. cap. ix.—Whyttius, in clinicis praelectionibus, aquam tepidam et diluentia hausta sola saluti fuisse, quin et Cleghornius et Hillarius idem testantur.

tendum

DE DYSENTERIA

tendum est. Hoc praestantia complura, praeferunt ex antimonio parata, et ex his ipsis, prae caeteris, vitrum ceratum antimonii, celebrata sunt. Hoc proprium dysenteriae auxilium diu creditum est, reque vera, mira interdum praestitit. Sed quia incerta ejus actio est, fere ubique nunc omittitur. Plura de eo scire volentes ad acta medica Edinensis (*a*) relego. Camphoram cui nitrum et nonnullae terrae absorbentes juncta sint, HOFFMANUS (*b*) et alii multum laudarunt. Quam tamen, licet et cutis foramina aperiat et prutredini resistat (*c*) adeoque nostro proposito respondere sit credenda, ob inaequalem ejus actionem, repudiandam puto. Nuper aliud ex antimonio alio quoque modo ut certius ageret paratum, quidam juvenis, qui disputationem medicinae lauream petens, de antimonio confecit, scilicet tartarum emeticum, haud mediocriter commendavit (*d*). Neque id et idoneum et efficax esse remedium

(*a*) Vol. v. art. xv.

(*b*) Opera omnia, tom. iii. sect. ii. cap. vii.

(*c*) Pringelius experimentis de camphora captis, bina hujus grana carnem recentiorem servare, quam falsi marini sexagena, reperit. Append. to his observ. on the dif. of the army, p. xiii.

(*d*) Vid. Disput. Med. Inaug. Guliel. Saundersii editam, Edin. ann. MDCCLXV.

negaverim.

negaverim. Attamen etiam hoc probatioris, quippe quam diuturnus usus omnibus aliis antecellere firmaverit, ipecacuanæ contritae exiguum aliquid, sed saepius datum, mihi magis placet. Hanc in dysenteria esse utilissimam omnes fatentur, quo autem modo utilis sit, nondum convenit. Mihi sane, eam perspiranda expediendo plurimum; alvum leniter molliendo, aliquantum, prodeesse, verisimile est. Cum enim magnam inter cutem et ventriculum confensionem intercedere, quaeque moleste hunc afficiunt, illam quoque per confensionem movere, nauseamque quot quot excitant, hoc potissimum praestare, constet; nonne, ipecacuanæ quae semper nauseae plus minusve excitat, cutem quoque afficere, hujusque foraminibus, quae in hoc malo plerumque adstringuntur, apertis, harum rerum, quae morbum servant, copiam corpore ejecere, diutiusque sic data, multum boni tandem adferre, opinanda est? Neque haec opinio sine auctoribus est; siquidem multi eorum, quibus ipecacuanæ usus placuit, eandem sunt secuti (e). Itaque protinus post primam alvi purgationem incipiens, per totum deinde morbi

(e) Vid. Freind de febrib. comment. quart. Hillary on the dis. of Barbad. &c.

cursum, illam ingerere, et una cum ea tepida diluentia potui dare, velim.

PORRO diaphoreticorum effectum certiorem calor et munditiae reddunt. Quocirca aegrotantes quamplurimum se lecto continere, in idoneo vase sub ipsa veste stragula desidere, et cutem quam maxime mundum servare, debent. Et quoniam dysenteriam nonnullis facit humido in solo ambulatio pedum cutem adstringens, hi, quoties, id factum est, in balneum demissi, foraminibus solutis, perspirandae noxae solitis viis exeundi copiam facient.

quintum, LICET communis medendi ratio plerosque affectus, interdum omnes tollant, tamen pauca propriam saepe curam postulabunt. Quorum praecipua tormenta sunt.

TORMINA prae caeteris lenienda sunt, non solum, quia et molestiae et periculi plurimum, dum immanes dolores concitant et inflammationem augent, semper habebunt; sed quia humorum in intestina profluvium augentia, morbum ideo servabunt. Haec autem plerisque lenientur variis in prima et quarta curationis parte memoratis medicamentis, praesertim calidis ventris extrinsecus fomen-

tis

tis (*f*), diaphoreticis ore sumptis, et potionibus diluentibus. Quibus tamen si dolor pertinax parum cesserit, ei ventris parti, ubi dolor maximus est, vesicatorium, quod PRINGELIUS (*g*) et MONROIUS (*b*) prodesse reperrunt, imponatur. Quod si ne vesicatorium quidem responderit, opii paululum subinde detur. Videndumque est, ne id, nisi homine jam ante supra et infra bene purgato, detur. Licet enim pro tempore malum sublevet, tamen cum, acria in intestinis retinendo, quasi adstringentem vim exerat, parce cauteque, morbo incipiente, tractandum est. Semperque, si quando id datur, simul purgare alvum debemus, ne vel intestinalis partis alicujus mors, vel tympanites intestinalis (*i*) ejus usum sequatur.

(*f*) Rouppius, in nave quadam, ubi dysenteria cum multiplice pernicie faevierat, calida ventris fomenta, ad tormina consopienda et somnum consiliandum, efficacia fuisse, retulit. De morb. navig. sect. iii. p. 218. et seq.

(*g*) Observ. on the dis. of the army, part iii. ch. vi. § 4.

(*b*) Account of mil. dis. p. 78.

(*i*) Pringelius haec verba refert: “ I have known more than one case of a tympanitis, or an immoderate distention of the colon by air, from the premature use of opiates and astringents in the dysentery.” Observ. part iii. ch. vi. § 4.

DE DYSENTERIA

UT inanis desidendi cupiditas ab irritato magnopere recto oritur, ipsam igitur partem attingentia maxime convenient. Itaque unctuosa, mucilaginosa, qualia sunt lini semina, althaeae radix vel amyrum decocta, olei paululo adjecto, in alvum exigua copia sed saepius immittantur. Haec ad acrem ideoque irritantem materiam obvolvendam et hebetandam prae caeteris accommodata sunt. Quod si post aliquantum temporis haec nihil sola profuerint, paulum liquidi laudani, quod PRINGELIUS (*k*) et alii efficacia illa reddere repererunt, adjici licet.

VENTRICULI nonnullis morsus molestiam exhibet (*l*), quem DEGENERUS (*m*) adeo periculosis affectibus adnumerat. Cum vero, ab accidi in ventriculo copia solito majore eum orihi, verisimile sit, terrae absorbentes, quale julepum è creta est, in auxilium erunt vocandae,

UBI ea apparent, quae mortem intestinorum vel imminere vel jam esse significant, ad

(*k*) Observ. on the dis. of the army, part iii. ch. vi.
§ 4.

(*l*) Ut Hoffmannus ait, "Gravis cardialgia multos discruciat." Op. omn. tom. iii. p. 152. Degnerus quoque "summa cardialgia aegrotos angebat." Hist. dys. pil. cont. cap. i. § xxix.

(*m*) Degneri hist. dys. bil. cont. cap. i. § xxxii.
putredini

putredini obstantia et adstringentia confugendum est. Horum praestantissimus cortex Peruvianus est; cui Virginiana serpentariae radicis copia minor sit addita. Ejus plurimum ore ingeratur, idem opio mixto decoctum in alvum injiciatur. Cortice Peruviano sic parato JOANNES HUNTERUS prospere usus est (*n*). Eundem confectioni Japonicae Edinensi junctum, apthis ori et primis viis imminentibus immo apparentibus, WHYTTIUS noster (*o*) salutarem quoque reperit. Is duabus concocti Japonici bene saturati libris tres corticis drachmas adjicere, et binā cochlearia post quaternas horas laborantibus dare consuevit.

INTESTINA adeo hic morbus infirmat, ut *postremum*, molesta diarrhoea eum plerumque excipiat: Igitur, leniter adstringentibus, opiatis et aromaticis junctis, qualia sunt electarium diaescordium et confectio Japonica nostra, aut electuarium, è pulvere è bolo composito, addito opio, Londinenium, et syrupo constans, alvus firmari debet. Quae si tardius ad sententiam nobis cesserint, pro iis corticem Peruvianum, cuius adstringens et roborans vis hoc tempore

(*n*) Vid. Pringle's observ. part iii. ch. vi. § 4.

(*o*) Vid. Pringle's observ. ibid.

DE DYSENTERIA

utilissima est, et una cum eo, ne is nimis forte purget, opii paululum, adhiberi convenit.

CORTEX simaroubae multum in dysenteria, praesertim a DEGNNERO, tractatus est, verum cum de ejus virtutibus nondum inter scriptores convenerit, nihil de eo dicere habeo, praeterquam quod eum solummodo, dysenteria jam finita, et alvo inde fluente, prodesse PRINGELIUS dicat.

LIGNUM campechense veteribus dysentericis, nonnulli ita utile experti sunt, ut hic quoque spei aliquid promittat.

PRAECLARUS MONROIUS Pater solo cortice Coneffi, omnibus aliis rebus frustra tentatis, quandam hominem ad sanitatem reduxit.

PRINGELIUS aqua calcis lacte mixto alvum post dysenteriam adhuc fluentem interdum stitit. Ipse etiam ejus rei testis sum.

PRINGELIUS ipecacuanam cum opiatibus conjunctam auxilio fuisse testatur (*p*). Ego quoque pertinacem diarrhoeam, multis adstringentibus, quae data ante erant, nihil agentibus, eodem medicamento sublatam vidi.

(*p*) Observ. on the dif. of the army, p. 203.

VERUM ENIM VERO licet haec medicamenta etiam quam maxime profuerint, nisi victus ratione habita, perpaucos persanabimus (q). Hic è levissima materia, concoctu quam facillimus, minimeque stimulante esse natura debet. Adeoque sago, oryza, panisve cum lacte coccus, juscum tenue, pultis genera, gelatinæ, et similia conveniunt. Nihilque fermentatum, qualis est cerevisia tenuis, potui dandum; si quidem fermentatae omnes potiones non soluni alvum percitant, verum etiam in primis viis inflationes creant.

FRIGUS omne, quod, perspiratione impedita, et alvum solutam auget et semper iis reducit qui in hoc malum jam ante proniores fuerint, omni ratione vitetur. Purus aër et exercitatio frequens, ad malum fugandum et valetudinem firmandam, conferunt.

(q) Pringelius ulla ventriculi molestia redintegrata, vomitui repetito nunc foli confidit neque ad alvum etiam fistendam, quicquam praeter constantem laetii victus usum, desiderat. Observ. part iii. ch. vi. § 4.

EPIDEMICA

77
-tum et invenientur oculi nec subtiliter
-et ceteris deinceps invenientur, nisi ex aliis
-lascivis partibus, per hanc operationem, ut
-est, sed sicut in aliis concretae sunt operi-
-tum, concretae pungit, utrumque oculum
-Abducere ergo oculum, quod atra cum eis co-
-tum, pungit, tunc invenit, quod atra, nequissimum
-et nimis coquacium, Hippocrates transmissione
-dilexit, ut ceterum levius posse habendum; it-
-erunt remaneisse omnes positiones non locum
-inveniunt, sed inveniunt, utrumque oculum
-inveniunt, utrumque oculum.

Ista autem duplique ratione inveniuntur:
-et si inveniuntur, ut illi qui inveniuntur, et
-quoniam dicitur posse inveniuntur, ut illi qui
-inveniuntur, omni ratione inveniuntur, ut
-et exercitatio tenuiter ea inveniuntur, concretae
-inveniuntur inveniuntur, concretae.

(a) Tum etiam si solus regitur illa sollicitudine
-miseria, ut inveniuntur, ut inveniuntur, ut inveniuntur, ut inveniuntur, ut inveniuntur,
-ut inveniuntur, ut inveniuntur, ut inveniuntur, ut inveniuntur, ut inveniuntur, ut inveniuntur.